

Illustrissime Domine,

Mihi aequum ac iustum omnino visum, in hoc casu exilii, quem etiamnum sustineo, hisce literis quam officiose potero ac debeo dignitatem vestram compellare; adeoque tanti praesulis charitatem favorabilem mihi conciliare. Ad hoc satis causae id habere iudicavi, quod Romae iuvenis degens, praelectionibus ipsius de fidei controversiis, per aliquot annos, tam eximio praeceptore docente, discipulus, licet indiligens, audierim. Accedit porro, quod in ipsius adversarium Rogerium Widdringthonum, virum caeteroquin indignum, in quem tantus dux sua manu ictum intendat, stili gladium distinxerim. Qua vero ratione hoc inciderit, coniecturam facio Dominationem vestram Ill^{mam} omnino percepisse. Sin vero nihil hac de re inaudierit, R.P. Rector seminarii Anglicani in Urbe vobis tragoediam poterit renuntiare. In causa itaque vestra adserenda quae et totius Ecclesiae, vitam ago in exilio, communi hostium vi a patria, amicis vitaeque subsidiis expulsus. Animus tamen mihi est, Illustrissime, in Widdringthonum stilo ominus depugnare, eoque scripti genere, in quo vestra Celsitudo contra Gulielmum Barclaium in omnium oculis praecclare triumphavit. Retardat tamen haud parum exilii incommodum, de cuius condicione facile prudentia vestra aestimabit. Cum itaque mihi adsit ius quoddam peculiare in hac calamitate confugiendi ad vestrum praesidium, obnixè Domini et praeceptoris opem imploro ut ex rerum oportunitate velit Sanctitatem suam de hoc ipso eventu, instituto et necessitate certiore facere; qui inde, uti a fonte, adeo scilicet clementis patris suavi pectore, derivata charitate, instructor subinde maneam et animosior ad decertandum cum fidei hostibus, Summo Deo, Sanctitati Suae ad vobis inserviendum. Octob. 4 Kal. 1612.

Dominationi Vestrae Illustrissimae addictissimus

30 Arch. Vat. Gesuit. 18 fol. 31. Orig. / Odouardus Vestonus.

Ill^{mo} et R^{mo} Dnō meo colendiss^o D. Cardinali Bellarmino. Romam. (cach